



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

145. An quis peccet mortaliter, si absque iusta causa retrahit aliquem ab ingressu Religionis? Et supponitur posse aliquando ex justis rationibus alicui sine peccato dissuaderi Religionis ingressum. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

accepto pretio: quia iure sui domini, quod in illum habet, priuari non potest. Quare sicut ante professionem non tenebatur seruum Religioni tradere: pretio accepto: ita nec post professionem, cum semper idem in illud dominium firmum, ac stabile permaneat: neque hac de re habemus textum aliter disponentem. Sed de tota hac questione, & an serui professio sit valida, vide Sanchez in *summa tom. 2. lib. 5. cap. 4. num. 42. & seq.*

RESOL. CXLIV.

N. ex genere Mahometano, sed infans baptizatus, & postea Religionem ingressus, an possit sine ulla dispensatione ad Prælaturas assumi?

Et an in tali casu non sit excludendus à sacris Ordinibus?

Et aduertitur, quod Bulla Pauli IV. prohibens, ut descendentes ab infidelibus possint in Ordine Minorum ad Prælaturas assumi, de solo Ordine D. Francisci loquitur; & ideo non est extendenda per communicationem ad alios Ordines: quia Religiosi communicantes in priuilegiis non proinde communicant in penis, & odiis. Ex p. 6. tract. 7. Misc. 2. Ref. 1.

§. 1. **R**espondeo affirmatiuè. Quia licet de iure communi Neophytus non possit eligi in Prælaturam ex cap. quoniam, & c. si Neophytus, dist. 48. vt obseruat Auila de censur. part. 7. disput. 4. dub. 4. concl. 1. Azorius tom. 2. lib. 6. c. 2. quest. 2. Castellinus de elect. cap. 11. num. 4. & alij. Attamen qui ab infantia baptismum suscepit, non dicitur Neophytus, sicut nec ille, qui adhuc decennis Baptismi Sacramento insignitus est; & ideo tales non sunt excludendi à Sacris ordinibus, neque à dignitatibus Ecclesiasticis; vt ego ipse firmavi in part. 4. tract. 2. *ref. 50. cum aliquibus Doctoribus; nunc addo Villalobos in *summa tom. 1. tract. 21. difficultat. 16. num. 3.* Ioannem Præpositum in 3. part. Dini Thomæ quest. 5. de irregul. dub. 15. n. 22. Salzedum in *praxi, cap. 22. n. 11.* Campanili in *diuersi iur. Canon. rub. 11. c. 7. n. 6.* Et magis in terminis casus nostri Peyrinum de *Præl. Relig. tom. 2. quest. 2. cap. 5. §. 6. num. 83.* & Tamburinum de *iur. Abbat. tom. 4. disp. 4. quest. 21. num. 66.* cum alijs penes ipsos. Probat hæc opinio: quia, vt patet ex Gratiano in *princip. dist. 48.* ideo Sacri Canones Neophytos excludunt à Prælaturis, quia tanquam inexperti non poterant obseruare ea, quæ ratione personarum, locorum, & temporum sunt Prælati obseruanda: sed hæc inconuenientia cessant in baptizatis ab infantia, vel ante decem annos: ergo posse supradictos sine ulla dispensatione ad Prælaturas admitti de iure communi dicendum est.

2. Nec valet dicere, quòd licet consulti non obstat, vt probatum est, ius commune; obstat tamen ius particulare Pauli IV. prohibentis in quadam Bulla, vt descendentes ab infidelibus possint in Ordine Minorum ad Prælaturas assumi. Non inquam hoc obstat: nam respondeo primò aliquos docere dictam Bullam in disuetudinem abiisse. Ita Auila de *censur. part. 7. disp. 4. dub. 3.* & ex illo Sanchez in *summa tom. 1. lib. 2. c. 7. n. 3.* Respondeo secundò quòd dicta Bulla de solo Ordine D. Francisci loquitur; & ideo non est extendenda per communicationem ad alios Ordines; quia similes Pontificum Constitutiones non dicuntur priuilegia, sed potius statuta, seu prohibitiones: ergo non includuntur in communicatione priuilegiorum. Vide Laurentius Portel in *dubijs Regularibus, verb. Communicatio priuilegiorum, num. 20.* rectè sic asseruit. Religiosi communicantes in priuilegiis non proinde communicant in penis, & prohibi-

Sup. hoc infra lege de Etiam Ref. 257.

tionibus alterius Ordinis. Ita ille, cui adde Letaniam in *summa Questio. Regul. tom. 3. cap. 1. num. 54.* & Tamburinum de *iure Abbatum, tom. 1. disp. 17. §. 6.* Hinc Miranda in *Manual. Prælatur. tom. 2. q. 46. art. 6.* Sanchez *vbi supra,* & Rodriguez in *Questio. Regularib. tom. 1. quest. 55. art. 17.* asserunt individualiter dictam Bullam Pauli IV. pro Minoribus emanatam non esse extendendam ad alias Religiones. Et tandem respondeo tertio dato, & non concesso, quòd communicatio dictæ Bullæ Pauli IV. cum alijs Religionibus facienda esset, adhuc dicendum est nihil obstat: nam postea per aliam Bullam Pij V. publicatam in Capitulo Generali Romæ anno 1575. concessum fuit iisdem Patribus Minoribus, vt possint recipere in Religionem filios infidelium, & ad Prælaturas admitti, vt ex Sorbo obseruat Laurentius de Peyrinis de *Relig. Prælatur. tom. 2. quest. 2. c. 5. §. 6. num. 85.* vbi etiam notat id à Gregorio XIII. etiam concessum fuisse Ordini Minorum & eius verba per extensum apponi. Ergo, vt dixi, non obstat Bulla Pauli IV. nam quare illa attendi debet, & non potius Bullæ posteriores Pij V. & Gregorij XIII. si poena imposita per Bullam Pauli IV. aliquibus videbatur per priuilegium communicationis ad alios Ordines extendenda: à fortiori fauorem Pij V. & Gregorij XIII. postea emanatum, extendendum, & communicandum esse alijs Religionibus dicendum erit. Remanet igitur satis probatum N. Consulenti nulla indigere dispensatione, vt possit ad Prælaturas suæ Religionis assumi.

RESOL. CXLV.

An quis peccet mortaliter, si absque iusta causa retrahat aliquem ab ingressu Religionis?

Et supponitur posse aliquando ex iustis rationibus aliquid sine peccato dissuaderi Religionis ingressum.

Et quid est sentiendum de peccato, & de damno temporalis, & commodo facti Religionis, quando quis vi, vel fraude Nouitium, vel alium impediit à profectura Religionis, &c.

Et quid, quando sine vi, vel fraude ex Monasterio Religiosum profectum seduxit? Ex p. 1. tract. 3. Misc. 2. Refol. 22.

§. 1. **S**uppono cum Ioanne Vvigers de *inst. tract. 4. cap. 3. dub. 4. num. 9.* posse aliquando ex iustis rationibus alicui sine peccato dissuaderi Religionis ingressum, vel amplexum: eiusmodi autem causæ censentur à DD. esse in primis si ille bona fide credatur melius in sæculo militaturus Deo, quam in Religione illa, quam meditabatur, siue propter Religiosorum conuersionem minus ei accommodatam, siue propter corporis infirmitates, quia nec ipsi Religiosi expedit infirmiores suscipere, propter quos oportet monasticam disciplinam relaxare.

2. Secunda causa esse potest, si impedimentum habeat respectu ad Religionem, quam cogitat, ad quod forsitan ipse non attendebat.

3. Tertia si parentes opera eius indigeant, de qua alibi plura sunt dicta.

4. Quarta si quis videat eum potius propter temporales commoditates Religionem cogitare, quam propter spirituales profectum. Id enim debere alicui esse ab eo, qui Christum secundum consilia Evangelica sequi intendit, significat ipse Christus *Luce 4.* vbi adolefcentem non admittit ad suum discipulatum.

5. Notat etiam circa hæc Malderus loco *supra citato*, quod sciam permittit Deus mala, vt inde eliciat bona; ita & Diabolum subinde excitare homines ad Religionem, vt inde eueniant mala, quæ aliquando

aliquando probabiliter euentura sperat, & conuincit, vt quando ex respectu humano obleruat eos à se, vel ab aliis ad illam moueri: quare opus est bona discussione, discretionem, & probationem, vtum spiritus à Deo fit. Et sanè parentes sæpius grauius peccant, dum proles sine discrimine, & examine protrudunt ad monasteria, vt se à sumptibus liberent, vel vt hæreditas inter pauciores diuidatur: sicuti, & illi Magistri reprehendendi sunt, qui inducunt, & quasi pertrahunt indifferenter quoslibet, quos apprehendunt Religionem futuros viles, siue propter ipsorum media temporalia, siue propter dotes nature, non satis attendentes vtum in persona eluceant signa, ex quibus prudenter possit iudicari, quoddà à Deo ad eiusmodi statum ordinentur, ac vocentur, & hinc postmodum lacrymæ, & tot incommoda.

6. Hoc supposito ad difficultatem propositam affirmatiuè respondet Nauarrus in *Man. cap. 12. n. 44.* & Doctores communiter. Sed non delectam hic obleruare Fillicium, contrarium docere, nisi in raro casu; Vnde *tom. 2. tract. 32. cap. 6. num. 171.* sic ait: Dico secundo retrahens Nouitium, vel alium volentem ingredi, non ex iusta causa, sed ex vanis rationibus ob spem honorum, diuitiarum, voluptatum, difficilem vitam Religiosam, & molestias quas passurus esset, abique eo quod adhibeat vim, metum, vel fraudes, ad nihil tenetur Religionem, quia hæc nullum ius acquisiuit adhuc in eum; nec ipsi retracto, quia supponimus non decessisse fraudibus, &c.

Sed tantum profuisse rationes quidem mundanas, & vanas; ex quibus tamen voluntariè & liberè alter inductus est ad egressum, quare peccauit tantum vt plurimum venialiter; in aliquo casu, at si insignis Religiosus sperabatur, etiam mortaliter. Ita ille, & post illum nouissimè P. D. Constantinus à Castro Mortariano in *Collect. Theologia moralis tractat. 2. cap. 2. art. 1. §. 4.* Sed ego non recederem à sententia communi, quæ, vt diximus in tali casu peccatum mortale constituit, læditur enim charitas erga proximum in re graui.

7. Notandum est hic obiter, quod qui vi, vel fraude Nouitium, vel alium impediuit à profitenda Religionem, quamuis ex iustitia non teneatur se vel alium loco eius ponere, obligatur tamen ex iustitia Religionem compensare temporale damnum, si quod patitur, & proinde restituere tantum quanti valebat spes commodi, quod ex eius donatione, vel industria fuisset expectatum. Notandum tamen est, si Nouitius, vel professus putetur fraudem satis aduertisse, tunc alterum ex iustitia non videri obligatum de istis damnis, quia non poterit dici fraus propriè fuisse causa egressus, nec ipsa egresso ceteri potest ei inuoluntaria propter aliquam ignorantiam. Similiter quidam probabiliter existimant, seductorem non amplius ex iustitia teneri de sequentibus damnis, quando vim, vel fraudem amouit, & seductum sic restituit suæ libertati, intereà temporis, dum illi adhuc integrum est redire. Ita Less. *suprà cap. 17.* & alij: quia tunc non videtur alter censendus causa, quod Monasterium priuatur spe commodi, sed potius impletur, qui ex plena libertate non vult redire; secus si tunc ei non sit integrum redire propter impedimenta interiecta per egressum, imò si occasione violentiæ, vel fraudis, factum sit, quod mutauerit omnino animum, videbitur seductor dicendus causa damni; non obstante, quod vim, vel fraudem tempestiuè semouerit, secus si ex aliis causis animum mutauerit.

8. Sed difficultas mouetur circa Religiosum profectum, quando quis eum sine vi, vel fraude ex monasterio seduxit; vtum hic ex iustitia teneatur Monasterio de huiusmodi temporalis cõmodi carentia; vt

Tom. VII.

si Monasterio aliqui prouentus notabiles, aut elemosinæ soleant obuenire ex eius functionibus, vt ratione concionum, aut professionis literarum, &c. quæ occasione eius absentia siue egressus cessant, quidam non improbabiler id affirmant.

Sed pars negatiua magis communiter à Doctoribus tenetur, ita Sotus, Nauarra, Salohius, & Malderus, quos citat, & sequitur Viget, *vbi supra.*

RESOL. CXLVI.

An Superiores Regulares nolentes admittere aliquem absque causa in Religionem, ad annum Nouitatus peccent mortaliter?

Et quid, si petens ingressum haberet votum ingrediendi Religionem eius superioris, à quo petit admitti, an ille negans simpliciter ingressum peccet mortaliter, si nullam habeat legitimam causam negandi ingressum?

Et an peccent negantes suffragium Nouitio idoneo ad professionem? Ex part. 10. tract. 13. & Miscel. 3. Refol. 6.

§. 1. Negatiuè respondet P. Bordonus in *Consl. Regul. tom. 2. resol. 54. n. 138.* vbi sic ait: Nullum videtur peccatum Superiori, vel cuiuslibet alij facultatem habenti Nouitios recipiendi ad Religionem illis simpliciter negare ingressum, quamuis alias possent illos recipere. Suadet quia nulla lex suadet huiusmodi receptionem: ergo nolle quem recipere ad Religionem ex mero arbitrio nulla est transgressio, consequenter neque peccatum. Confirmatur: Tum quia impedire alicuius bonum nullum est peccatum, nisi impeditus ad illud habeat ius saltem ad rem, & ipse Nauarrus *cap. 17. num. 97.* hic autem, qui ingredi cupit nullum ius habet, ergo non dicit iniquè impediri. Tum quia quod dicit Christus, *Eum qui venit ad me non eiciam foras*, explicatur de accessu per fidem, nullus enim ad fidem venire volens à Christo eicitur foras. Alcuius super dicta verba: vel secundum Lyranum super eadem verba, eum qui venit ad me per vocationem non eiciam foras, quia omnis prædestinatus tandem saluabitur. Quare quale est arbitrium volentis ingredi, talis potest esse voluntas superioris, consequenter sicut in optione est ingressus, & nolle ingredi ex parte petentis, ita & Superiori liberum est, recipere, & non recipere Nouitium. Neque obstant adducta in oppositum, in quibus adest malitia, non in casu nostro, in quo Superior ex potentia sui arbitrij, in quo stat pro ratione voluntas, simpliciter negat ingressum. Præterea Superior non dicitur dissiadere à bono, sed simpliciter vt iure suo non recipiendi aliquem ad Religionem, cum ad id nullam habeat obligationem; persona autem priuata nullum ius habet in ordine ad statum Religiosum, consequenter ex se simpliciter dicitur persuadere malum, & dissiadere bonum, Superior vero regularis dicitur simpliciter ex iure suo negare illi ingressum, & nequaquam persuadere malum, aut dissiadere illi bonum. Quid si petens ingressum haberet votum ingrediendi Religionem eius Superioris, à quo petit admitti? An negans simpliciter ingressum peccet mortaliter si nullam habeat legitimam causam negandi ingressum? Non peccat, quia per emissionem illius voti nulla obligatio inducta fuit in Superiore regulati: ergo sicut ante potest illi negare ingressum, neque inde sequitur peccatum aliquod in vouente, qui non potuit adimplere præceptum, cum per eum non steterit modò habeat requisita ad ingressum, vt supponitur. Hucusque Bordonus. Et hanc sententiam singularem putauit quidam Theologus, sed malè: nam